Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1843
Quelle:
Copyright:

CODICES HOMILETICI.

DCCLXVI.

R. 3326 Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 198. f. min. bene perſcriptus, minioque diſtinctus in fronte Titulum literis quadratis exaratum habet, ſed ita jam fugientem, ut non niſi ſequentia prendere potuerim: — — *Hidebaldi Archiepiſcopi-Co. Lantperhtus Abbas Hunc Librum Rogabc* (ſic) *Scribere Temporibus Noſtris Multos Annos Uita Noſtra Domino Adiuuante Feliciter Et S — — Illum Librum Legat Semper* — —. *Coloniensem* hunc Praeſulem obiviſſe tradit *Gallia Chriſt.* T. III. *col.* 635. anno 818. Inde de Codicis aetate ſtatue. *Lantpertum* in nullo Dioec. *Colon.* Abbatum Catalogo reperi. *Pag.* 2. Index *Homiliarii* a *Dom. Poſt Aſcenſ.* uſque ad *Vigil. S. Andreae* pertingens additis Evangeliis et Homiliis in *Dedicat. Eccleſiae* et in *Conuentu Sacerdotum.* Citantur Initia Evangeliorum tam in Dominicis, quam in SS. Feſtis intercurrentibus legi ſolitorum; Dominicae vero ita numerantur: IV. *poſt Pentecoſten*, VIII. *poſt Natale Apoſtolorum, Petri* videlicet et *Pauli*, VII. *poſt Sancti Laurentii*, et VI. *poſt Sancti Angeli*, puta *Michaelis*, cujus dies praeſcriptus eſt: *In nat. ſancti michahelis archangeli.* Computando igitur ab *Aſcenſione Domini* una cum *Dom. Pentecoſtes* habentur *Dominicae* XXVI. Quare Pars haec *Homiliarii*,